



## **Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III**

**Cunaeus, Petrus**

**Lvgd. Batavor., 1632**

Cap. XIII. Admiranda quædam de templo, deq[ue] sacrificiorum & sacerdotu[m] multitudine. De festo Paschatis singulare quid, & penè supra fidem. Lignorum tres strues in altari. De æternis ignibus. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65527)

pite xxiii legitur, Adamum ex pulvere illius montis esse conditum, atque recte dictum à sapientibus veteri verbo esse, שנתרא ממוקום כפרתו *creationem ejus in illo loco contigisse, ubi peracta ejus expiatio est.* Nemo nostrum tam bardus est, qui hæc credat. Et tamen ipsis vetus commentum placet. Sed hæc deliria pluribus persequi, id verò nostrum non est.

## CAPVT XIII.

*Admiranda quadam de templo, deque sacrificiorum & sacerdotum multitudine. De festo Paschatis singulare quid, & penè supra fidem. Lignorum tres strues in altari. De aternis ignibus. Corban Habitfin, oblatio lignorum, & dies festi ad hanc rem. Talmudicorum & Flavii Iosephi discrepantia. Superstitio eorum, qui intraverint templum, quique exiverint ex illo.*

**D**ifficile esset dicere, quot sacrificiorum oblationumque genera & causas Iudaica religio habuerit. Sanè, cum Flavius <sup>1</sup> dicat, in singulis classibus, quæ hebdomadam unam per vi- ces in templo sacris operabantur, fuisse

<sup>1</sup> In Apolog. adversus Apionem.

se plus quàm quinque millia sacerdotum; omninò opus ingenti victimarum numero quotidie fuit, ne tot manus otiosæ essent. Notat idem scriptor<sup>x</sup> uno die Paschatis ducenties quinquagies quinquies millena & sexcena animalia immolata esse. Diximus autem, solenni Paschatis die, & præterea duobus aliis festis, omnes sacerdotum classes Ierosolymam venisse, & junctis operis sacra simul fecisse. ut jam necesse sit, eodem tempore, atque die uno, centum & viginti millia sacerdotum munus suum obiisse. Quod si jam è numero victimarum, quas cecidisse Flavius in illo festo prodit, mactatas à sacerdotibus singulis binas cogites, supersunt quindecies millenæ, & sexcenæ, quæ adhuc quærunt, cujus manu pereant. Porrò harum omniû immolatio facta in uno altari est, in quo quotidie tres lignorum strues compositas fuisse, Rabbi Moses Aegyptius ait. de quibus singulatim illud prodit, in Halacha Temidin & Musaphin, in capite secundo: ראשונה מערכה גדולה שעליה מקריבין התמיד עם שאר הקרבנות: שנייה בצדה קטנה שממנה לוקחין אש במחתה להקטיר קטורת בכל יום: שלישית אין עליה כלום אלא לקיים מצוות האש שנאמר אש תמיד חוקר:

<sup>x</sup> Lib. 6. αἰλώσ. cap. 45.

עֲרִיחַ Prima strues, inquit, magna erat,  
 in qua jure sacrificium, ceteraque, qua  
 offerebantur, apponebant. Secunda, ad la-  
 tus ejus, minor fuit: de qua ignem excepta-  
 bant acerra, ut suffimenta in altero altari  
 adolerent, quod prope Sanctum Sanctorum  
 erat positum. Tertia illud duntaxat ha-  
 buit, quod ratam faceret legis divinae pra-  
 ceptionem, qua de igne extat ejusmodi, Ac-  
 cendes ignem perpetuum. Scribit Flavius  
 in libro secundo ἀλώσεως, in capite  
 tricesimo & primo, fuisse Ierosolymæ  
 diem festum quendam, quem τὸ ξυ-  
 λοφόεια ipse appellat propterea quod  
 Iudæi tunc omnes ex sylvis magnam  
 lignorum vim in templum comporta-  
 bant ad alendos sacros ignes, quos esse  
 æternos, & nunquam extingui lex di-  
 vina jusserat. Hic verò leviter à Flavio  
 Talmudici discrepant. Ajunt enim,  
 non id uno tempore factum ab omni-  
 bus simul esse, sed familiis singulis ad  
 hanc rem fuisse certos dies constitu-  
 tos. quod nos ita accipimus, ut status  
 quisque dies plures familias, puta vi-  
 ginti aut triginta, hujus officii causa  
 sociaverit, non Iudæorum hercle per  
 reliquam Palæstinam habitantium,  
 sed Ierosolymitanorum duntaxat. Ad-  
 dunt Talmudici, eas familias, queis li-  
 gnationum vices in orbem redierant,  
 holo-

holocaustum spontaneum obtulisse, quod קרבן העצים dictum fuit, quoniam superadditum lignationi est. fas autem illis non fuisse, ea tempestate in luctu & squalore esse, aut jejunio se macerare. Talmudicorum sententiam Maimonides illis verbis complexus est, in Halacha Cele Hammikdash, in capite sexto: זמן קבוע היה למשפחו: לצאת ליערים להביא עצים למערכו: ויום שיגיע לבני משפחה זו להביא העצים היו מקריבין עולות נרבה והו קרבן העצים: Porro, ut in animis major veneratio inesset sacrae aedis, introductum illud non lege Moisaicâ, sed vetustissimis Iudæorum institutis est, ut quisquis templum intrabat, gressum ad dextram obverteret, ac sic circumiret, eâque viâ egrederetur, quæ ad sinistram erat. Contra autem, qui in luctu fuere, quive ejecti ex Iudæorum communione erant, eo submotionis genere, quod נירווי appellatur, iis circuitio facienda à sinistra dextrorsum fuit. Quin ipsi sacerdotes, cum rem sacram fecissent, recessim ad portam atrii cedebant, penè ut nepæ solent, sed paululum tamen obliquato latere. Hæc, & id genus plura in libris Talmudicis traduntur, & referenda ad illud tempus sunt, cum jam in animos homi-

hominum, res insana, superstitio in-  
uasisset.

CAPVT XIV.

*Addita religionibus majestas. Talmudi-  
corum sententia de muro, qui adyta se-  
parabat. & cur is in templo secundo  
non restitutus. De custodiis templi. An  
rectè eas Maimonides esse ex lege tradi-  
derit? Morbi crebri sacerdotum unde  
fuerint?*

**F**Vit illud à sapientissimo Salomone,  
non ab seris nepotibus ejus, institu-  
tum, ut discreta sacerdotum, Israelita-  
rumque, & mulierum atria essent. Ita  
provisum rectè est, ne religionem  
commixtio foedaret. Nam quod ipsis  
sacerdotibus non penetrare in templi  
intima licuit, sanè verò etiam id au-  
genda majestatis fuit, cujus major est  
ex occulto admiratio. Atque ante qui-  
dem, cum inter Sanctum & Sanctum  
Sanctorum murus quidam unius cu-  
biti latitudine stetit, post cum ædem  
secundam ei exstruerent, qui reversi  
Babylone erant, dubitatum est qua  
proportione, quove pacto spatium  
ejus muri immissum in Sancta, inque  
Sanctum Sanctorum fuisset: & cum  
decidi ea res nequiret, vice muri duo  
M  
vela